



**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponeñsis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofurti, 1678

Lib. II. cap. 13. & seqq. An Concilium sit supra Pontificem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

post Alphonsum Castrensem, & Melchiorem Canum aliosque plures ita respondet: Primum, Gratianum ex depravato Augustini codice esse deceptum, ea Augustino tribuentem verba, quae in Augustino alter longe habeant. Non enim dicere Augustinum, Epistolam Pontificum decretales Scripturam esse Canonicam, sed judicium de Scripturis Canonicis pertinere ad Ecclesias, adque potissimum eas, quae Apostolicas Sedes vel Epistolam accipere meruerint, quales fuerunt Roma, in qua sedit Petrus & ad quam scripsit Paulus; Ephesus item, in qua sedit Iohannes & ad quam scripsit idem Paulus, & alia quedam. Deinde, Gratianum hoc etiam errore posito non voluntate dicere, Pontificum decretalē esse Scripturas proprias Sacras & Canonicas, ut sunt Evangelia &c. Sed esse Scripturas sacras, ut distinguantur a profanis, & Canonicas, ut distinguantur a sacris Patrum Scriptis, quae non sunt regule, nec autoritatem habent obligandi. Licet enim Canones Pontificum & Conciliorum distinguantur, & Scripturae Divinae postponantur, tamen suo quodam modo esse & dici posse Sacra & Canonica Scripta. Ut, quid de totā re debat statui, Lectio cognoscat, placet ipsum audire Augustinum, cuius

Lib. II. de
Doctr.
Christi.
cap. 8.

authoritate Gratianus ex ipso Bellarmino & aliorum melius sentientium iudicio male usus est, qui ita scripsit: In Canonicis Scripturis Ecclesiasticis quamplurimum autoritatem sequatur, (videlicet Scripturarum Divinarum indagator) inter quas sane ille sunt, quae Apostolicas Sedes habere & Epistolam accipere meruerint. Quid circa haec Augustini verba sit observandum, supra mox a principio harum pro Augustino Vindictiarum, capite de Scripturis propriis Canonicis, fuit indicatum. Nunc illud hic tantum notetur, bis in hujus testimonii citatione Gratianum errasse, semel ipsa Augustini verba pervertendo, ac si Augustinus scripisset, quae Apostolica Sedes habere, & ab eis aliis meruerint accipere Epistolam, manifeste contra mentem Augustini; iterum, quando capiti, in quo haec Augustini Verba exhibentur, tale prescriptum Lemma, Inter Scripturas Canonicas connumerari Epistolam Decretalem, quod tamen utrumque praeter Authores supra citatos

Vid. Dal-
Iej. de uſo
Patrum,
Pag. 70.

correxit, qui iussu Gregorii decimi tertii Jus Canonicum emendavit & Notis illustrauit, non solum Augustini verba, ut jacent, integra reponens, sed & insigni cum observatione addens, ea non ad decretales Romanorum Pontificum Epistolam, sed ad Canonicas & Sacras esse referenda. Quid de his Epistolis primorum Pontificum decretalibus, ab Isidoro quodam Mercatore, vel juxta alios penatore primū collectis, & quae non planè nullorum, nec vana Etiam est suspicio, conscriptis, & à Turriano postmodum contra Magdeburgenium censuram defensis, ex mente sacerdotiorum inter ipsos Papistas, nominatum Cusanus, Cardinalis de Turrecremata, Driedonius, Espenius, Covarruvia, Antonius, Cassandri, Bellarmino in primis & Baronii, præter Launojum, Sorbonistam eruditissimum, Archi-Episcopus quoque Parisiensis, cum Launojo haec tenus non semel ex merito laudatus, in laudato de Concordia Sacerdotii & Imperii opere, satis aperie ostendit, Dalleji operum. 2.

L. III. c. 5. in Aurora
Pacis, pag
122.

ram, quam in Censurā earum collocavit, commendans, ut adeò attendi non debat, quod post ingenuam tot insignium Virorum confessionem nuperus Pacifex Volusius ex Codice proprie admirandam scripturam vetustatem (duo vel tria forte Secula non superantem) suscipiendo, Simplicioribus & Annales Volusianos sine omni contradictione suscipientibus, voluit persualum frustra quamvis & ut spero, in vanum. Non solum autē hoc non voluit Augustinus, quod Eum voluisse scripsit Gratianus, sed nec id etiam intendit, quod Bellarminus ei perperam adsingit, quasi statuisset, judicium de Scripturis Canonicis pertinere ad Ecclesias, & quidem eas potissimum, quae Apostolicas Sedes vel Epistolam accipere meruerint, cum tamen Augustinus Scripturarum Divinarum indagatorem instruxerit tantum, quales scripturas pro Canonicis habere & agnoscere debeat tum, & illo tempore, ubi recentiora earum Exemplaria adhuc apud illas indagare licuit Ecclesias, ad quas non paucæ ab Apostolis erant scriptæ, & in quibus illi & Successores eorum ad tempus aliquod suam habuere sedem, unde postmodum dictæ fuerunt Apostolicæ. Quod porrò in altera responsi parte Bellarminus ad excusandum aliquatenus Gratianum profert, locum quoque habere non potest, urpote contrarium ei, quod Gratianus loco Rubricæ præfixit distinctioni vigesimali, Decretales Epistolam canonibus Conciliorum pari jure exquiri.

CAPUT DECIMVM TERTIVM & seqq.

de Quæstione,

An Concilium sit supra Pontificem Romanum?

L. III. c. 7. mox ab
init.

Petrus de Marca hanc Quæstionem dicit in videlicet, de eā in gratiam Romanenium ita disputans, ut libertates Ecclesiæ Gallicanæ hoc axiome, quod videlicet Concilium

cilium universale vel Oecumenicum, si modò unquam tale fuit celebratum, Romano Pontifice sit superius, non omnino nisi velit, quamvis ea hinc indè intermisceat, quæ non multò minus, quam si illud Axioma Recipiendum statuisset, authoritati Pontificis detrahere, videntur, Regiam potestatem omnibus Conciliorum & Pontificum decretis præferens, id quod supra quoque non uno in loco fuit observatum. Nos jam ad Bellarmino, qui in hujus Quæstionis ventilatione per septem capita non-nisi semel Augustini facit mentionem, eamque invitus & coactus, dum ad argumenta sibi opposita respondere debuit; ut adeò ferias hic agere liceret, nisi ex Launojo, jurato Bellarmini circa hanc Quæstionem adversario, aliqua breviter nota se non planè nullius operæ videretur pretium, præprimis cum ab Instituto non adeò sit alienum, autoritate argumentinegantis, quoad defectum testimoniorum Augustini, hic etiam, sicut alibi saepius, non omnino prætermittendā. Amplissimè autem & pluribus ad divertlos Epistolis Quæstionem hanc tractavit laudatus Sorbonista, nihil fere sicco transmittens pede eorum, quæcunque Bellarminus ad authoritatem Pontificis Romani supra Conciliarem omnibus modis defendendam singulari industriā, sed non pari fide ex non unus generis Scriptoribus corrasit, id quod per Epitomen quasi exhibetur. Ante omnia autem in ad *Christophorum Favvum*, Parisiensem Theologum Epistolā notanter oblercavit, elumbem esse disputandi modum, quo Bellarminus utitur, ut probet, tempore Tom. I.
Epist. 10.

Concilii Pisani, quod anno Seculi post decimum quinti nono habitum est, exortam esse Quæstionem, cuius bistoriam confidere & Epocham defgere instituit. Quamvis enim Cardinales id tunc fecerint, quod eos fecisse Bellarminus adserit, indè tamen non sequitur, Quæstio nemeesse novam, an Concilium sit supra Papam? Nam si Concilium esse supra Papam, nova fuisse opinio, nec Concilium generale Pisani illam esset amplexum, nec Alexander quintus, Papa, Conciliī Acta comprobasset. At comprobavit semel atque iterum, quod pluribus ibi testimonii confirmatur. Nova igitur non erat, sed vetus Ecclesiæ (Augustini etiam tempore) imo & Sedis Apostolicae Sententia, quod Concilium supra Papam esset. Sed novi tunc exorti sunt Doctores, (quo Concilium illud Pisani fuit celebratum) qui veterem Ecclesiæ & Sedis Apostolicae Sententiam vocarunt in dubium, imo Pontifices Romanos supra Concilium exulerunt. Post aliquor Romanorum Pontificum suffragia provocat ad plura, quæ collegerit in alia ad Hieronymum Sambævvium Epistolā, quæ in eodem Tomo sepius occupat locum, demonstrans, ipsos Pontifices Romanos Sacris Canonibus & Conciliis se subjici credidisse. Et cum præter aliorum, aliquot etiam Innocentii tertii loca ad illud uberior explicandum adhibuerit, hæc de suo adjicit: Eruditus & Sapiens Pontifex non anteponebat se Ecclesiæ vel Conciliis, que representabant Ecclesiam. Id didicerat, quod Augustinus de Spiritu Sancto pronuntiavit: Spiritus Sanctus si Crea. Echir-
tura, non Creator esset, summa esset Creatura, & ideo in regulâ Fidei non poneretur cap. 56. ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret, in illâ Ejus parte, quæ in Cœlis est.

Quod igitur Augustinus sic de Spiritu Sancto pronuntiavit, non posset non de Pontifice Romano pronuntiare, nec ullus esset Pontifex, nec Pontificis adulator tam cœcus, qui contrarium dicere auderet; ut Spiritus Sanctus, qui non Creator, sed summa esset creatura, sic & Pontifex ad Ecclesiam pertinaret, & quia pertinaret ad Ecclesiam, pars esset illius, & quia pars, totis, videlicet Ecclesiæ subjiceretur. Vnde idem Augustinus: Universum partibus semper optimo jure præponit. Hec est Veritas, quæ ex omni fluit aeternitate, & ut scribit Tertullianus, cui nemo præscribere potest, non spatiū temporum, non patrocinia Personarum, non Privilegium Regionum. Itaque Bellarminus Quæstionis sue Epocham hinc frustram Pisano defixit Concilio, si Iuris, hinc mendaciter, si facti conditio spectetur. His in genere præmonitis ad Sententiarum de hâc Quæstione varietatem duce Bellarmino progreditur Launojus, ostendens, Eum in primæ opinionis Expositione, quæ Pontifex Concilio subditur, ex Authoribus Catholicis, ut communiter audiunt tres tantum Gallos, videlicet Cameracensem, Gersonem, Almainum, ex Germanis Cusanum, ex Italis Panormitanum & Cardinalem Florentinum, ex Hispanis Abulensem citasse, cum ubique plures adducere potuisset, nominatim pro tribus Gallis non modò Academiam Parisiensem, sed & Galliam universam, id quod pluribus documentis comprobatum fuit, subjungens, ad Disciplinam in Gallia Ecclesiasticam pertinere, ut Academia Parisiensis credat, posse ad Concilium à Romano Pontifice provocari, & quod Concilium sit supra Pontificem. Et ubi hoc multis Theologorum Parisiensem, imo Hispanorum quoque, Italorum & Germanorum non unius ordinis Scriptorum testimonii docuit, additis hinc indè variis observationibus, ob præscriptæ brevitatis amoremibi legendis, præter itâ

Lib. II. de
Bapt. c. 4.
de veland.
Virgin.
mox ab
init.

Ita opinione circa hanc Questionem secundâ , quam Bellarminus Glossatori Juris Canonici & quibusdam Interpretibus ejusdem adscribit , ad tertiam notat , Bellarminum ideo priori Sententia de Concilio supra Papam autoritate tam paucos Authores attribuisse, cum innumerabiles ferè potuerit , ut eò facilius contrariam hoc posset proponere modo: Ultima est communis ferè quod nimis Papa ad eò sit supra Concilium , ut non possit etiam se subjecere Ejus Sententiaz , si propriè de Sententiâ agatur coactivâ. Et hæc Sententia videtur esse omnium veterum Scholasticorum, ut Alberti, Thoma, Bonaventura, Richardi, Paludani, & aliorum in quartum Sententiarum , ubi de clavibus agitur , tametsi ex professo de hâc re non disputârint. Expressè autem hoc docet Antoninus, Cajetanus, Turrianus, alii plures. Observat ad hæc Launojus, Qui ante Concilium Pisanius ipsa , ut Bellarminus, hanc proposuerit Sententiam, hactenus inventum esse neminem; post illius autem Concilii tempus proponi cœpisse, ut de novitate ejus non ambigatur. De cetero , Bellarminum in adducendis pro hæc Sententiâ authoribus leges historie non semel, sed iterum & tertio negligere. Semel quidem, quia Sententiam, quæ communis non est, communem nominat. Iterum verò, cum veterum Scholasticorum , qui magno sunt numero , ne unus quidem Lemma hoc sibi sumvit , Papam ad eò supra Concilium , ut non possit se coactivè illius Sententia subjecere. - Tertio , Albertum, Thomam, Bonaventuram, Richardum, Paludanum , & alios veteres in quartum Sententiarum Lemma illud neutriquam adsumisse , id quod in specie tribus Thomæ testimoniis docetur, quæ iis adjungi debent, quibus Thomas Evangelicæ Veritatis confessor vindicatus non ita pridem orbi verè Catholico fuit restitutus. Quoad reliquos Authores à Bellarmino laudatos ostendit porrò Launojus, in Antonino expressè non reperi propositionem Bellarmini , quin in dñi Eum scribere , Papam ab Ecclesia judicari posse , si reprehendatur à fide devius; Cajetanum docere , Pontificem Romanum Lib. III. de observatione Sacrorum Canonum constringi , Turrianum quoque contra Bellarminum Rom. Pot. statuere, Pontificem canonibus Conciliorum & Regulis Patrum Ecclesiasticis , Pontificumque sub fin. (Antecessorum) decretis, in omnium consilio ac dictis salutaribus debere subjectum esse in timore Dei , & eos Pontifices , qui Canones & Decreta non servant , similes esse Principibus illis & Pharisæis , quos Dominus in Evangelio accusans dixit alligare eos onera gravia & importabilia , & imponere in humeros hominum , dixito autem non movere &c. & Pontifices , cum Canones Ecclesiasticos non servant, nullâ Oeconomia & spiritualis utilitatis Ratione, leges nulla necessitate solventes facere , ut reliquis videantur intolerabiles , & omnia facere cum murmurazione contra Apostoli præceptum , ad eoque obtemperandum esse Pontificem per magni Pastoris & Episcopi animarum Sacra menta & admirabilita Indicia, ut cum sollicitudine omnium Ecclesiarum Domini præstet , & filios Ecclesie habeat subjectos, in timore Dei exemplum & forma gregis factus, ut seruat in Domino Canones Ecclesiasticos , & faciat eos ab omni Ecclesia vari studio audiatque verba hec & consilia, ut Dominus sit cum eo , fiatque sicut Petrus ait , ut cum adparuerit Princeps pastorum , immarcessibilem Glorie coronam accipiat. Placuit hæc prolixius ex Turriano, suppeditante Launojo, adducere, quia nullo planè modo Lemmati Bellarminiano convenient , sed omni potius contrariantur. Idem de ceteris Authoribus , quos Bellarminus adducit , statui posse & debere , non sine causâ nec immerita est suspicio. Constat inde , dum noviti etiam & Sedi Romanæ alias addicti Scriptores à partibus Bellarmini non stare videntur, quid de antiquioribus, nominatim Augustino si statuendum, cuius etiam authoritate, ut à principio monui, in prolixissimâ hujus Questionis tractatione, ad demonstrandum , Papam esse supra Concilium , munire se non potuit , comet ipso testatus , esse hanc Sententiam, quam suscepit defendantem , omnino novam ac temporibus Augustini planè inauditam. Quin & , quod eas attinet Authoritates , quibus in capite post decimum septimum copiose satis uitur , Scripturæ nimis Sacrae , Conciliorum , Pontificum Romanorum &c. Ita in earum adductione versatus fuit Bellarminus , ut Sorbonista Launojus hæc de Eo scribere fuerit coactus : Bellarminus hic Epist. 5. sibi canit, non Sedi Apostolica, non Ecclesiastica Veritati. Quæ sibi Lemmata sumit, hæc, cuius pag. 17. antiquitatis , an certa vel incerta , & quopertineant , non semper attendit , populari trutina contentus . Nam si Aurifcum statera expenderet , vereretur , ne que ex illis colligit Lemmatibus , non colligeret , sed potius abjecere cogeretur , at quia ita , quod scripturient magnum est malum pagina vacaret. Non contentus autem in genere hoc monuisse, in specie etiam pertotum caput Bellarmini tractationem ita exenterat , ut nihil omnino sani in eo reperiatur. Et à principio quidem non immerito dignum observatione censet , quod Bellarminus factam à se Propositionem , quod summus Pontifex simpliciter & absolute sit supra Ecclesiastiam

Tom. II.
Epist. 6.
pag. 30.

stiam universam & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se Iudicium agnoscat, dicat esse FERE de fide. Deinde peculiari ad Raimundum Formentinum Epistolæ, quæ ptimum in secundâ parte occupat locum, hoc summarium præscriptis Launojus, Bellarminus in ratione, quâ ex Scripturis s'vadere nititur, Romanum Pontificem simpliciter & absolute supra Ecclesiam & Concilium esse, præscriptas à Tridentinâ Synodo & Fidei Professione leges sprevisse, & disputando Sophistiken exercuisse, in cuius probatione inter aliorum Patrum, Augustini etiam aliqua adferuntur testimonia, quæ tamen quia supra jam habuerunt locum, hic cum fastidio non iterantur. Conciliorum Decreta, quæ in subsidium vocavit Bellarminus, non uno in loco expendit Sorbonista Parisiensis, nimurum in Epistola hujus secundæ partis quarta, item in primæ partis nonâ & undecima, in quârum ultima illud in primis notanter scripsit, *Nullum esse Sanctorum Patrum*, adeòq; nec pag. 22, Augustinum, qui memorie prodiderit, penes unicum Pontificem Romanum esse, Concilia indi- cere, transferre ac dissolvere, addo, & eorum authoritatem sue authoritatib; subjicere. Ad Pontificum Romanorum testimonia, quorum insignem numerum producit Bellarminus, ut eos Concilii non subjiciendos, sed anteponendos statuat, quid excipi possit, nemo prudens non videt; & tamen, ubi idem Launojus per tres Epistolæ, quæ secundo, tertio & quarto in parte secunda leguntur loco, examini eadem submisit rigoroso, tot & tanta ostendit candoris minimè Theologici documenta, ut Cardinalis omnino erubet Epist. 162. ad Glori- um &c. debuisset. His si addantur duæ in hac parte secunda Epistolæ numero ultimæ, quibus Pontificem Romanum Concilio subesse ad Fidem pertinere statuit ex disputandi methodo, quam Bellarminus & ali Curiales Theologi servant, cum de confirmatorum à Pon- tifice Contiliorum authoritate scribunt; & ex ipsis Pontificum Romanorum Scriptis colligitur, à Pontificibus ad Concilium provocari non-nunquam posse, nihil ad rem ipsam erit luper, quod ultra desiderari possit. Exemplum, quod Bellarminus sibi met ipsi opposuit ex Augustino, referente, quod post judicium Pape Melchiadis in causa Donatistarum judicari Episcopus Arelatensis cum suis in Concilio Co-Episcopis, eti supra jam fuerit discussum, in spe- cie, ubi de regime Monarchico & Jure Adpellationum egimus, ne tamen quid subter- fugere videamur, quid Bellarminus ad id respondeat, expendenus. Dicit, causam banc Donatistarum post judicium Melchiadis iterum ab Episcopo Arelatensi s'uisse judicatam, non quia oportet, sed quia Imperator voluerit adquiescere Donatistis alia judicium petentibus, si forte in dubius iudicis condemnati sanarentur. Præterea, Augustinum non conferre Pa- pam sine Concilio, cum Concilio, sine Papa, sed conferre Concilium particolare, cui præsit Papa, cum Concilio generali, cui etiam præsit Papa. Posse autem sine dubio causam à Pontifice in Concilio particolare iudicatam ab eodem iterum judicari in Concilio generali, præsertim in Quæstione facti, quæ ex Informationibus pendet, & in quâ errare possit Ecclesia. Imò etiam ordinariè olim s'uisse prius Concilia in singulis Provinciis particularia, Roma etiam, & tum res in illis particularibus Concilii definitas iterum in Concilio generali tractatas, ac demum ultimam & definitivam à Pontifice Sententiam Concilio adsentiente datam esse. Hæc Bel- larminus, sed præter Augustini mentem, & nullo ad causam valore. Nam si jam tum temporis hoc axioma Sedi sua adnexum Melchiades scivisset aut existimatet, quod eidem hodie ad singula Magistri curiales, pro ratione statu, qui nunc quam maximè ob- servatur, permittere nec potuisset nec debuisset, ut in præjudicium authoritatis Senten- tia, quam Romæ jam tulit, in gratiam partis adversariæ Donatistarum, in Arelatensi judi- cio retractaretur, intercedente quamvis autoritate Constantini, Imperatoris Christia- nissimi. Facilius certè Herculiclavam extorquere licebit, quam modernis Pontifici- bus tale quidquam, quod ullâ ratione Authoritatē minuere videtur, quam omnibus modis contra quovis & pro viribus eunt defensum. Et tamen nulla in Augustini rela- tione observari datur litera, nedum linea, unde minima oriri posset suspicio, vel ægræ Melchiadem illud tulisse, vel eidem quidquam protestando contradixisse. Nimirum hu- miliori tum adhuc regebantur spiritu Pontifices Romani, quam Successores eorum, qui vergentibus Seculis plus ultra semper eundum, adque multiplicanda in annos Authori- tatis luce privilegia laborandum sibi esse duxerunt consultum, donec tandem ad supremum hunc gradum est devenitum, quo adhuc altior non est super, Bellarmino cum plu- ribus aliis strenue rem hanc juvante, quam ipsi Pontifices mutatis Petri clavibus, ac- cidente Pauli gladio, fortiter egerunt. De cætero, gratis dicit Bellarminus, Augustinum in loco, quem citavit, conferre Concilium particolare cum generali, cui utrique præsit Papa. Non enim Augustinus illi Concilio, quod dicit Ecclesiæ universæ & plenarium, Pontificem Romanum præponit ut Præsidem, sed cum cæteris Episcopis,

TOMI II. CONTROVERSIÆ I.

170

qui cum illo Rōmæ jam in causâ Donatistarum judicaverant, illis jungi Episcopis, qui in illo universali Concilio, quod tot iteratis vicibus dixit plenarium, in dictâ Donatistarum causâ ulterius judicare debebant, ita scribens: *Restabat plenarium universa Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum Sententia solverentur.* Aperte, quia & apertissimè, hic & in antecedentibus Verbis Augustinus mentionem facient non solius Melchiadis Papæ, sed in genere Episcoporum, qui Romæ in Concilio, ad mandatum Constantini, in causâ Donatistarum judices fuerunt; neque Melchiadem in specie Conciliï illius plenarii præsidem facit & supremum Judicem, sed necessarium fuisse scribit, ut in eo cum ipsis Iudicibus, qui nimirum in Concilio pridem Romæ celebrato ex authoritate Constantini Judices fuerunt, Donatistarum causa adhuc semel posset agitari; non ut ii iterum soli Judices sedent, multò minus Melchiades solus, eorumque judicium antehac latum sine omni discussione ulteriori tanquam infallibile comprobaretur, quâ methodo Donatistarum petitioni satis non fuisset factum, quod tamen Constantinum intendisse Bellarminus fatetur & extra dubium est; sed eum in finem, ut si Judices Romani, Melchiades cum ceteris in Concilio Episcopis, male in hâc Donatistarum causâ judicasse convicti essent, eorum Sententia solverentur, id quod omnino cum infallibili Pontificis Romani autoritate & summa Ejus supra Conciliorum etiam generalium autoritatem potestate pugnat, de quâ tempore Augustini in mentem nemini venit, quidquid etiam Bellarmino & aliis videatur. Accedit, neque Bellarminum ex ullo sinceræ Antiquitatis monumento docere, vel Melchiadem huic Arelatensi Synodo præsedisse, vel Arelatensem hanc Synodus plenariam aut universalem fuisse, eo nimirum sensu, non quo hodie Concilia dicuntur Oecumenica, sed quo olim sub hoc titulo fuerunt celebrata, de quo posteriori suo mox loco contra Bellarminum ex Launo tractabitur. Grati ea inter ingenuam Bellarmini confessionem suscipimus, quâ Pontificem in Quæstionibus facti, & quæ ex Informationibus pendent, cum Ecclesia & Concilio, quamvis generali, errare posse agnoscit, & non semel errasse addere debuit; ex quo præsupposito annon sequatur, & non insinuiter adeo concludi possit, Eum in Quæstionibus Juris & Fidei, etiam ob rationem non ita imparem errandi periculo obnoxium esse, hâcque in primis ratione Fidei & Religionis Romanæ fundamentum omnino subruatur, omnisque certitudo, ac inde Conscientiaz tranquillitas cadat, plurius videatur opera pretium esse, ut quam-accuratissime à quovis inter Papistas æternæ Salutis cupido expendatur.

LIBRI TERTII,
DE
ECCLESIA MILITANTE,
CAPVT SECUNDVM,

DE
Ecclesiæ Definitione.

Post quinque diversatum Opinionem propositionem, inter quas Confessionistarum five Evangelicorum Sententia quartum occupat locum, suam quoq; tandem Bellarminus exhibit, quâ Ecclesiæ dicit esse cœtum hominum, ejusdem Christianæ Fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimerum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarit, Pontificis Romani. Hanc Ecclesiæ definitionem sicut alii omnibus præfert, ita contra quosvis defendendam suscipit, ex tertâ præprimis parte ejus cunctos Ecclesiæ gremio excludens, qui Romano Pontifici non subduntur, Ejusque monarchicum in Ecclesia regimen agnoscere detrectant. Ut autem Lectori minus attento & perspicaci aliqua ratione perivadeat, non novam esse hanc Ecclesiæ definitionem, sed à Patribus orthodoxis mutuatam, ad Augustini in primis autoritatem provocat. Quam fallaciter verò id fiat, patebit, ubi Augustinum hunc Doctorem, & ipso quidem citante Bellarmino audiens, qui ex Eo sequentia in tem, non suam, sed nostram producit: *Notandum est ex Augustino, Ecclesiæ esse corpus vivum, in quo est Anima & corpus; & quidam Anima sunt, interna Spir-*

in Brev.
Collat.